



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1861

XXXIII. Notariats-Instrument über einen dem Karthause von Matthias Luko
geschenken, den übrigen Gärten des Stifts benachbarten Garten, vom
14. Juli 1434.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55508](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55508)

XXXIII. Notariats-Instrument über einen dem Karthause von Matthias Luffo geschenkten, den übrigen Gärten des Stifts benachbarten Garten, vom 14. Juli 1434.

In nomine domini Amen. Anno a natiuitate eiusdem millesimo quadringentesimo tricesimo quarto, Indictione XII, pontificatus sanctissimi in christo patris et domini nostri domini Eugenii diuina prouidentia pape quarti anno quarto, die mercurii, decima quarta Mensis Iulii, hora uesperum uel quasi, In domo hospitalis monasterii siue Domus Misericordie dei ordinis Carthusiensis prope Frankenford lubucensis dyoecesis, In mei notarii publici subscripti Testiumque infra scriptorum presentia specialiter constitutus Diferetus uir Mathias lucko, laycus lubucensis dyoecesis antedecte, Compos mentis, corporis et rationis, Non aliquo errore aut timore seductus, Sed sponte et libere ac pure propter deum et ob salutem anime sue, Donacione pura ac libera, cum expresso consensu et voluntate ac ratihabitione petri lucko, layci dicte dyoecesis, patris sui carnalis et legitimi ibidem presentis et in huiusmodi actum expresse consenscientis siue approbantis, dedit, cessit, transtulit et irreuocabiliter donauit Venerabilibus ac religiosis fratribus ac dominis priori Totique conuentui siue monasterio domus misericordie dei ordinis Carthusiensis prope frankenford sepedicte dyoecesis suum ortum, quem habet et possidet siue habuit et possedit ex materna hereditate, valentem sex sexagenas, situm retro dictum monasterium Carthusiensem, In confinibus siue metis ortorum, quos dicti fratres Carthusienses a Quappendorp et Johanne wynne, alias lyweno, emerunt et pretium pro eisdem plenarie exsoluerunt. Continentem latitudine fere duas virgas cum media et in longitudine circa XX virgas communi estimatione uidelicet a septo seu communi strata ab occidente uersus orientem usque ad septum, quo distingitur ab orto pratum eidem annexum eiusdemque latitudinis pertingens siue cetera prata circum iacencia usque ad flumen, quod oderisse uiglariter nuncupatur, Conditione tali adiecta, Quod prefatus donans et pater suus legitimus antedictus interim, quod huiusmodi presenti naturali uita funguntur, eodem orto quoad usum siue usufructum uti possint et debeant, salua rei substantia et sine alienatione siue uenditione dicti orti, Ita quod uerum dominium, salua proprietate seu dominio, quam et quod consulatus siue communitas opidi frankenford in hunc habeat uel habere possint, apud dictos fratres siue monasterium ad statim sit et esse debeat, Usus autem siue usufructus dictorum ortorum apud dictos Mathiam et petrum temporibus uite ipsorum duntaxat debeat remanere. Pratum autem, quod dicto orto adiacet siue uicinum aut annexum extitit, ipsi fratres quoad uerum dominium, ut prefertur, sic dictum aut utile cum omnibus accessionibus et fructibus siue graminibus ad statim possidendum, fruendum et accipiendum habere debeant et retinere. Qua propter ipsis ad statim uerum huiusmodi dominium directum siue utile in instanti transtulit, dedit, cessit et donauit, Quam donationem religiosi fratres et domini Johannes rode, prior, et henricus, procurator, nomine dicte domus Misericordie dei Carthusiensis ordinis benigne acceptarunt. Promisit eciam predictus donans sollempni stipulatione, quod translationem ac donationem predicti orti per aliquod testatum subsequens aut donationem alteram siue uenditionem, ex aliquo zelo ingratitude aut odio siue aliqua alia occasione uel causa non uelit reuocare, Sed ipsum inuolabiliter et inconcussis perpetuis temporibus obseruare, Neque de facto aut de iure contravenire. Premissi igitur domini et fratres et Prior Totusque conuentus Domus misericordie dei ordinis Carthusiensis sepe dicti pro huiusmodi impenso beneficio ac gratuita donatione in signum mutue beniuolentie de predictis ortis emptis a quappendorp medium solum ortum contiguum, cum orto suo sepedicto uersus aquilonem

sive ciuitatem et similiter contiguum ortum, cum eodem versus austrum sive meridiem cum rubeo torclari vulgariter dicto se continuantem, emptis a Johanne wynne sub vsu seu vfructu possidenda dictis Mathie et petro, condictis lucko, ad eorum vitam duntaxat concesserunt et assignarunt, pratis, graminibus ac pascuis dictorum ortorum seclusis, Que prata iure veri domini erga claustrum predictum debeant remanere, sic ut prefati tres orti post mortem dictorum cedentium et donancium apud eosdem fratres permanere debeant inconculse cum omni iure, pertinentiis et accessionibus nichil indemptis, Saluis semper iuribus antedicti opidi Frankenford. Renunciauit nichilominus dictus Mathias omne Jus et omnem actionem, quod et que ad dictum ortum habere poterit aut in futurum habere posset: Et si quid iuris ratione scripti in libro scabinorum sive consulum sepedicti opidi Frankenford ad dictos ortos, quos predicti fratres carthusienses, ut prefertur, a quappendorp et Johanne wynne emerunt haberet aut habere posset quomodolibet in futuro, id totum renunciauit In bona fide, tales ortos nomine ipsorum velle possidere, pratis et pascuis vt prefertur seclusis, Eisque resignare, si necessitas incumberet, totiens quociens ab eisdem fratribus desuper fuerit requisitus. Insuper premissi fratres et domini Carthusienses necnon et predicti Mathias et petrus concordarunt, Quod interim, quod Mathias et petrus seu alter eorum viueret, volunt et debent dare preexactionem de tribus ortis et pratis predictis tocies quotiens oportuum fuerit, Sed medietatem vere exactionis sive contributi aut questus debent et volunt dare predicti fratres carthusienses, Aliamque medietatem expagare debent et volunt predicti Mathias et petrus, condicti lucko. Super quibus omnibus ac singulis premissis dicti fratres et domini Johannes rode, prior, et henricus, procurator nomine sui conventus, Necnon Mathias et petrus sepedicti me notarium publicum subscriptum requisierunt, vt eis conficeremus tot quot forent instrumenta necessaria et oportuna. Acta sunt hec anno, Indictione, pontificatu, die, mense, hora et loco quibus supra. Presentibus honorabilibus ac providis viris et dominis magistro Johanne cluwen, canonico Soldinense, Magistro Nicolao mello, officiali lubucense, Johanne lichtenberg, altarisita in frankenford, Necnon Bartolde cruger, layco Caminensis et lubucensis dyocesis, Testibus ad premissa vocatis pariter et rogatis.

Et ego Johannes buffe, Clericus lubucensis dyocesis, publicus sacra Imperiali auctoritate Notarius, Quia dictis donacioni, renunciacioni, promissioni et concordationi omnibusque aliis et singulis premissis dum sic ut premittitur fierent et agerentur vnacum prenominatis testibus presens interfui, Eaque sic fieri vidi et audiui; Id circo presens publicum instrumentum per alium fidum conscriptum inde confeci, Quod signo nomine et cognomine meis solitis ac consuetis consignauit In euidentis signum fidem et testimonium omnium et singulorum premissorum.

Nach dem Copialbuche des Karthäuser-Klosters, No. 71.